QVAESTIONES
DE
NOTIS TIRONIS ET SENECAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OSCAR LEHMANN

NIEDERLEVTERSDORFENSIS.

ACCEDVNT TABVLAE AVTOGRAPHAE III.

LIPSIAE

TYPIS NAVMANNIANIS.

CIƆIƆCCCLXIX.

FAVTORI HONORATISSIMO

HVGONI HAEPE,

REGI SAXONIAE IN CVRA REGNI A CONSILIIS SANCTIORIBVS, CENTVRIONI ORDINIS GVELPHORVM ETC.

GRATISSIMO ANIMO

HVNC LIBELLVM DEDICAT

AVCTOR.

Quaecunque nobis antiquitatis monumenta tradita sunt, nullum ad hoc tempus eodem modo neglectum est ac tachygraphia veterum. Cum aliae philologiae disciplinae a doctissimis viris accuratissime tractarentur, pauci illud scriptionis genus curarunt et, quamquam Carpentier, Tustinus, Koppius diligentissime notarum rationem explicare conati sunt, tamen nostro tempore multa in iis sunt obscura, quibus illustrandis nemo adhuc operam dedit. Ac maxime quidem Fridericus Ulricus Koppius (Palaeographia critica I. II.) tachygraphiae Romanorum rationem aperuit, cum primus scripturam literalem eam esse demonstravit; philologiae vero parum peritus fuit. Quamquam enim recte iudicavit, notas Tironianas diversis temporibus formatas esse, tamen ne conatus quidem est antiqua a novis secernere, sed omnium notarum formationis eandem esse rationem falso existimavit. Unde factum est, ut nos, quibus ex literis notae constent, sciamus, rationes vero, quibus diversis temporibus notae formatae sint, ad hoc tempus ignoremus, quas antequam investigarimus, notarum cognitio philologis haud satis prodesse potest.

Maximam enim utilitatem philologiae notarum scientia ferir posse, vix erit qui neget. Quamvis vocabularum orthographiae et etymologiae cognitio arte epigraphica multo magis juvetur quam illa, tamen arti criticae multum utilitatis feret, et nostro tempore ex notis ad illustrandam historiam linguae latinae fructum capere Guilielmus Schmitz Coloniensis conatus est.

Quae cum ita sint, ego, si iam historiam notarum Tironianarum, quantum obscuritate rei licet, illustrare conabor, neque videar acta agere, neque in negotio versari non satis digno eruditorum diligentia.

Ac primum quidem meum esse puto fontes commemorare, ex quibus notarum scientia hauriri possit. Collectio notarum omnino semel edita est ab Iano Grutero una cum thesauro inscriptionum, cuius appendix est. Atque ex tribus illius thesauri editionibus prima anni MDCIII optime pictas notas continet, cum in secunda ligno, cui notae incisae sunt, haud raro laeso menda appareant, quae etiam in tertia conspiciuntur. Cum vero Gruterus duobus solum libris manuscriptis uteretur, quorum alter ipsius, Pistorii alter fuit, Koppius septem inspexit, et nunc praeter duo fragmenta decem novimus codices, ex quibus nonnulli non sunt integri. Ac vetustissimus est codex Cassellanus saeculi octavi, nono exarati sunt codices Gotvicensis n. 82, Guelferbytanus (inter Augusteos 9. 8), Parisienses nn. 190 et 8779, decimo vero codices Argentoratensis, Parisienses nn. 8777, 8778, 8780, Bernensis n. 358. Cum vero codices Cassellanus, Gotvicensis, Guelferbytanus accuratissime sint perlustrati, de reliquis paene nihil novimus. Koppius enim, qui libros Parisienses unus adhuc inspexit, pauca de iis dixit. Bernensis vero, ni fallor, ad hoc tempus a viro notarum perito omnino non est perlustratus. Numerus notarum non est idem in codicibus, cum codex Cassellanus pauciores notas, plures contineat Guelferbytanus quam editio Gruteriana, ubi circiter tredecim milia conspiciuntur.

Apud Gruterum omnes notae divisae sunt in quinque commentarios, in libris autem Cassellano et Guelferbytano sex commentarios conspicimus, cum commentarius, qui in editione Gruteriana quartus est, ibi in duos sit divisus, unde Schmitz („Tironiana“ in Symbolis philologorum Bonnensium etc. vol. II, pag. 548) iure, ut videtur, mendo librarii factum esse, ut apud Gruterum quinque tantum commentarii sint, iudicat Tamen

principio plures commentarios fuisse existimem. In codice enim Gotvicensi disertis verbis quamquam non est scriptum, unde commentarius incipiat, maioribus literis maioris partis significatur initium. Atque secunda quidem pars initium capit a vocabulo *probus* (apud Gruterum pag. 31), tertia a vocabulo *purpura*, primo vocabulo secundi commentarii apud Gruterum (pag. 60) et in codicibus Cassellano et Guelferbytano, quarta a vocabulo *gaudet* (Gr. pag. 102), quinta a vocabula *Puteoli* (Gr. pag. 136), sexta a vocabulo *praetexta* (Gr. pag. 157). Cum autem codex Gotvicensis non sit integer, sed *candor*, *candidus*, *candescit*, *excandescit* (Gr. pag. 165) vocabula sint ultima, octo maiores partes eum continuisse iudicare possimus, si in eo pariter atque in codicibus Cassellano et Guelferbytano reliquas a vocabulis *Attius* (Gr. pag. 185) et *Super notas* (Gr. pag. 191) initium cepisse censeamus. Post quartam partem conspici verba: „finit commentarius III, incipit IV," haud plurimi aestimandum sit, praesertim cum in nullo alio codice inde quartus commentarius initium capiat. Adde quod apud Gruterum tertius commentarius a vocabulo *gaudet*, in codicibus Cassellano et Guelferbytano a vocabulo *Puteoli* incipit, neque audacius iudicare videar, si notarum antiquitus aliam divisionem fuisse statuo. Capita vero, in quae quattuor priores commentarii divisi sunt, eadem esse atque antiquitus, inde concludo, quod et apud Gruterum et in codicibus Cassellano et Guelferbytano congruunt. Capita in editione Gruteri et in codice Gotvicensi in minores partes divisa conspiciuntur, quarum prima vocabula maioribus literis exarata sunt; cum vero in libris minime congruant, a librariis ex arbitrio eas esse constitutas mihi quidem persuasum est.

Iam sit quaerendum, quomodo dispositae sint notae. Primo quidem qui notas conspicit, ei nullus ordo collectioni inesse videatur, ita ut Koppius (pal. crit. I. § 70) scribat: „ordo auctoribus placuit nullus, neque literarum, neque systematis cuiusquam, nisi fortasse illum spectes ordinem, quo primitiva derivatis anteponuntur." Tamen haud raro notas ex similitudine ipsarum vel

vocabulorum digestas invenimus, et nonnullis locis notae collectae sunt, quae ad eandem rem pertinent, ut ad cibum, vestitum, navigationem, alias res; interdum vero nullus ordo cognoscitur.

Sed dixerit quispiam: cur notae in commentarios et capita divisae sunt? Ac Sickelius quidem Vindobonensis, qui codicem Gotvicensem primus accuratissime perlustravit („Th. Sickel: Das Lexicon Tironianum der Göttweiger Stiftsbibliothek“ in „Sitzungsberichte der kaiserlichen Academie der Wissenschaften. Philosophisch-historische Classe“, vol. XXXIII, tom. I, pag. 9 s.) inde, quod in prioribus commentariis frequentiora vocabula, rariora in posterioribus leguntur, concludit, eo consilio commentarios esse constitutos, ut, qui notas discere vellet, postquam frequentiorum vocabulorum cognitionem sibi parasset, rariora paullatim disceret. Sed sibi non constat, cum postea singulos commentarios diversis temporibus collectos esse censere videatur, ita ut primus vetustissimus, novissimus ultimus sit, commentariis vero prioribus iam perfectis postea nova vocabula inserta esse. Quam sententiam ego sequor, neque ei obstare, quod frequentiora vocabula prioribus commentariis contineantur, existimo. Nam ut praetermittam quod etiam in posterioribus commentariis vocabula inveniuntur satis frequentia, non mirum est, frequentium vocabulorum notas primas esse formatas, quoniam maxime desiderabantur. Qua de causa a notariis sine dubio priores commentarii primi tractabantur, deinde posteriores, ut in praefatione codicis Parisiensis n. 8779 legitur (Kopp pal. crit. I. § 343): „sunt aliqui qui dimittunt ad tertiam partem aliqui tamen ad medietatem et sunt plurimi qui non dimittunt nisi ubi in fine dicitur plateola.“ Consilio vero in priores commentarios frequentia vocabula collecta esse, ut notariis minus industriis occasio daretur rariora praetermittendi, minime credo. Nam si quis illud spectans notas digessisset, certo ordine fecisset, ita ut praepositiones, coniunctiones, pronomina, denique vocabula, quorum aliquid commune esset, in unum locum colligeret, quod paene nusquam conspicitur. Quamquam enim

plerumque vocabula derivata post primitiva leguntur, tamen permulta inveniuntur separata a primitivis. Cuius rei ut exempla afferam, *iacio* verbum in pagina 19 editionis Gruterianae locum obtinet, *iactura* in pag. 67. *Gaudet* verbum in pag. 102 legimus, *gavisus* vero participium iam in pag. 70. Praepositiones quamquam pleraeque in primo commentarii primi capite conspiciuntur, tamen nonnullae in aliis capitibus sunt positae, ut *post* in pag. 14 (Comm. I. cap. 2.) *contra* in pag. 40 (cap. 9). Neque minus, cum nomina terrarum et oppidorum in tertio commentario (pagg. 136—144) unum in locum collecta inveniantur, Campaniae nomen in pag. 62 conspicitur. Sed etiam bis nonnulla vocabula leguntur diverso modo notata, ut *circulus* (pagg. 1. 151), *omnibus* (4. 81.), *deinde* (6. 32.), *huc* (7. 14.), *cito* (16. 95.), *perit* (20. 49.), *adventicium* (33. 148.), *fuga* (43. 152.), *vir clarissimus* (47. 98.), *in iure* (50. 100.), *platea* (63. 194.), *antrum* (98. 157.), *ignominia* (102. 150.), *protegit* (130. 156.), *repagulum* (153. 162.), *marmor* (153. 163.), alia. Cuius rei quae causa est? Nullo modo fieri potuit, ut, qui notas colligeret, idem vocabulum in diversis locis diverso modo notatum poneret. Itaque necesse est statuamus, notas neque ab eodem viro inventas neque collectas esse, sed collectionem paullatim esse auctam. Ac duplici quidem modo est aucta, cum alii in fine collectionis notas adderent novas, alii commentariis ipsis, qui antea collecti erant, notas insererent. Itaque commentarii diversis temporibus collecti sunt, et primus quidem vetustissimus, novissimus est ultimus, quam rem ipse codicis, quo Gruterus usus est, scriptor testatur, cum in pagina 191 editionis legamus: „Explicit commentarius vnus (quod vocabulum Schmitz ex $\overset{us}{\mathrm{V}}$ = quintus ortum esse demonstravit), incipit alter, qui est novissimus. Et ipsum novissimum commentarium auctum esse, inde intellegimus, quod in vetustissimo codice Cassellano *plateola* ultimum est vocabulum, apud Gruterum autem illud vocabulum multa alia secuntur. Si hoc modo notarum collectionem ortam esse statuerimus, nemo mirabitur, quod notae male ordinatae sunt.

De interpolationibus infra uberius agam; hoc loco unum exemplum affero, unde librarios ipsos collectioni novas notas inseruisse apparet. In Gotvicensi enim codice (Sickel l. l. pag. 26) notam *ab his* excipiunt *ab* notae *angelis*, *cum angelis*, *inter angelos*, quae neque apud Gruterum (pag. 6) neque in codice Cassellano leguntur. Nemo has notas ab auctore primi commentarii ipso formatas esse censebit, sed scriptor aut codicis Gotvicensis ipsius aut illius codicis, cuius exemplar est, inseruit.

Iam, postquam notarum commentarios a diversis viris compositos esse demonstravi, quaeram, qui collectionis sint auctores. De iis vero nihil nobis est traditum nisi, quae apud Isidorum Hispalensem (Origg. I, 21,) legimus, haec: „Vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit. Notarum usus erat, ut quidquid pro contione aut in iudiciis diceretur librarii scriberent simul astantes divisis inter se partibus quot quisque verba et quo ordine exciperet. Romae primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentatus est notas, sed tantum praepositionum. Post eum Vipsanius Philagyrus et Aquila libertus Maecenatis alias addiderunt. Denique Seneca contractu omnium digestuque et aucto numero opus effecit in quinque milia. Notae autem dictae eo quod verba vel syllabas praefixis characteribus notent et ad notitiam legentium revocent; quas qui didicerunt, proprie iam notarii appellantur.“ Quem locum Isidorum ex Suetonio hausisse, A. Reifferscheid (C. Suetoni Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae, edidit Augustus Reifferscheid. Lipsiae 1860) affirmat, falso, ut opinor. Hieronymi enim locum hunc (Ol. 193, 4) hunc: „M. Tullius Tiro Ciceronis libertus, qui primus notas commentatus est, in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenescit,“ ex epimetro libri Suetoni de viris inlustribus petitum esse demonstrat, unde Isidori quoque, qui sine dubio ex eodem fonte hausit atque Hieronymus, locum Suetoni fragmentum esse concludit. Sed si quis illum locum accuratius perlustraverit, videbit, ex tribus partibus eum con-

stare, quarum prima a verbis *vulgares notas*, secunda ***Romae** primus, notae autem* tertia initium capiunt. Quas partes ex diversis fontibus Isidorum petiisse inde iudico, quod in prima Ennius primus notas invenisse dicitur, in secunda autem Romae primum Tironem notas commentatum esse legimus. Deinde in prima parte dicitur: invenit Ennius, commentatus est in secunda; eadem igitur res diversis verbis significatur. Postremo tachygraphi in prima parte librarii nominantur, notarii in tertia. Concedo quidem, secundam partem ex Suetonio esse haustam, primam autem nequaquam ex illo petitam esse mihi quidem persuasum est, cum de tertia nihil constet nisi, eundem illius loci esse fontem atque Augustini (de doctr. Chr. 2, 26) huius: „Ex eodem genere etiam sunt notae, quas qui didicerunt, proprie iam notarii appellantur."

Postquam igitur vidimus, Isidorum, quae de notis vulgaribus dicat, ex diversorum auctorum libris composuisse, restat ut demonstrem, quomodo fieri potuerit, ut Isidorus duos viros primos notas invenisse dicat, et uter vere notarum primus fuerit auctor. Atque Isidorum sine ullo iudicio origines composuisse inter omnes constat. Quare cum apud diversos auctores legisset, quomodo notae ortae essent, ipse, uter vera diceret, iudicare nullo modo potuit, unde factum est, ut neutrum locum neglegeret. Tironem autem vere primum notarum fuisse auctorem, concludere nobis licet ex loco Plutarchi (Cato min. 23) hoc: *τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ᾽ ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ᾽ ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν.* Ante Ciceronem igitur nullum tachygraphiae vestigium fuisse disertis verbis Plutarchus testatur. Si vero Ciceronem scribas notas docuisse narrat, nimirum curasse Cice-

ronem scribas instituendos dicit. Nam ut praetermittam, quod Cicero nusquam narrat, se notas invenisse, ipsum tempus vacuum habuisse ad docendum minime est verisimile, unde facile per Tironem libertum, quem plurimi aestimaret, scribas notas eum docuisse censemus. Quod si probaverim, Ennius cur dicatur notas invenisse quaerendum sit. Ac primum quidem, qui Ennius dicatur, Rudinusne Ennius an alius, nullo modo constat. Tironianas autem notas eum non invenisse est certissimum; nihil igitur restat nisi ut aliarum notarum eum auctorem fuisse statuamus. Quae opinio loco Valeri Probi grammatici affirmatur, qui (de notis antiquis opusculum editum a Mommseno in „Berichte über die Verhandlungen der k. sächs. Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig. Philologisch-historische Classe. 1853“ pag. 119) dicit: „Namque apud veteres cum usus notarum nullus esset, propter scribendi facultatem maxime in senatu qui scribendo aderant, ut celeriter dicta comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi consensu primis literis notabant et singulae literae quid significarent, in promptu erat.“ Cui loco optime convenit, cum Isidorus librarios scripsisse complures simul astantes divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet, refert. Eadem enim est ratio orationes excipiendi, que usque ad novissima tempora in Italia in usu erat, cum complurium notariorum certum numerum verborum quisque vulgaribus literis exciperet, quae postea componerentur. Illiusmodi siglas Ennium mille et centum invenisse verisimilius fit, cum vulgares dicantur notae, videlicet quae ab omnibus adhiberentur et intellegerentur. Nimirum Isidorus vulgares notas siglas dici ignoravit, quare non dubitavit, quin illae eaedem essent ac Tironianae κατ᾽ ἐξοχήν notae dictae.

Probasse igitur mihi videor, Tironem primum notas collegisse, et praepositionum quidem, quae in collectione primum locum obtinent; fortasse aliarum quoque particularum et pronominum, quae prioribus commentarii primi capitibus continentur, notas formavit. Post eum Vipsanium Philargyrum, qui

Agrippae libertus videtur fuisse, et Aquilam libertum Maecenatis alias notas addidisse Isidorus testatur. De Aquila etiam Dio Cassius (55, 7): πρῶτος, ait, (Maecenas) σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλου ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε. Quot et quas notas illi liberti addiderint, haud constat; Senecam vero opus in quinque milia effecisse, disertis verbis Isidorus narrat, ita ut coniicere quidem possimus, quam partem collectionis composuerit. Primus enim commentarius notarum circiter tria milia et quingentas continet; ergo dubitari non potest, quin primus commentarius ante Senecam, fortasse ab Aquila, sit perfectus. Secundum autem commentarium eum addidisse verisimile est. Priores enim duo commentarii, si, ut apud Gruterum conspicitur, *super universa milia* (pag. 102) ultimam esse notam statuimus, supra sex milia, si codicem Cassellanum vetustissimum sequentes *pernicitas* notam (pag. 136) secundum commentarium finire existimamus, notarum novem milia non integra continent. Utcunque se res habet, si considerarimus, permultas notas post illa tempora commentariis prioribus insertas esse, non poterimus quin secundi commentarii auctorem Senecam esse statuamus. Sed qui fuerit ille Seneca, rhetor an philosophus an alius, haud certum est; sed tamen, si ex Suetonio nostrum Isidori locum petitum statuimus, quin alter ex illis viris clarissimis dicatur, haud dubito, quia Suetonius, si alium dicere voluisset, integrum attulisset nomen. Quod confirmari videtur eo, quod in libro quodam manuscripto, codice Ovitensi n. 58, qui in bibliotheca Matritensi est, leguntur haec: „incipiunt notae ad eruditionem infantium editae, ut fertur a Seneca Cordubensi," quae verba secuntur alphabetum et syllabarium notarum (Zeibig, Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibekunst, pag. 62), et quamvis de illo codice praeter ea, quae attuli, nihil notum sit, tamen etiam veteribus persuasum fuisse, Senecam aut rhetorem aut philosophum notas collegisse, illo loco satis demonstratur.

Una autem res, quominus secundum commentarium primo

p. Chr. n. saeculo perfectum statuamus, obstare videtur; in primo enim eius capite (pag. 64 s.,) nomina Caesarum usque ad Antoninum conspiciuntur, unde cum alii, tum Koppius et Sickelius Antonino imperatore illum commentarium collectum esse censent. Quod si esset, fieri non posset, ut Senecam eius auctorem esse iudicaremus; sed facile probari posse videtur, falsam illam opinionem esse. Quod ut facilius intellegatur, in tabulis additis omnes, quae ad Caesares pertinent, notas ex editione Gruteriana delineavi. Quas si quis accuratius perlustraverit, facile intelleget, eas dividi posse in sex partes, quarum prima vocabula ad dignitatem et potestatem Caesarum pertinentia usque ad *caesaries* (quod vocabulum suppositicium videtur) continet, secunda nomina imperatorum gentis Iuliae, tertia Galbae, Othonis, Vitellii nomina, quae in quarta Vespasiani et Titi nomina aucta imperatoris nomine ante et post nomina propria addito excipiunt, cum in quinta nominibus Domitiani, Nervae, Traiani, Hadriani, Antonini imperatorum et imperatoris et Caesaris nomina adiciantur; denique in sexta parte post *divus* vocabulum Iulii, Claudii, Augusti et Caesarum a Vespasiano usque ad Antoninum nomina epitheto divorum ornata leguntur, solo excepto Domitiani nomine, quod mendo librarii omissum videtur. Quibus animadversis quilibet mirabitur, quod Caesarum nomina a Galba demum ordine afferuntur, et facile suspicabitur, diversis temporibus illas notas formatas esse.

Quae suspitio confirmabitur, si quis notas ipsas erit contemplatus. Caesaris enim nomen si post nomen proprium ponitur, in secunda parte CE vel C notae mutilatae nominis proprii affigitur puncto superimposito; in quinta vero CE nota ipsa nomini superimponitur. Si vero Caesaris nomen proprio anteponitur, in prima parte C inversum ante nomen videmus, cum in quarta nomen proprium minutum CE notae superimponatur. Imperatoris nomen post proprium in prima parte non invenitur, in secunda autem *Germanicus imperator* legitur, quae voca-

bula ita notantur, ut Germanici notae mutilatae imperatoris nota affigatur puncto superimposito, et idem fit in quarta, in quinta vero solum punctum nomini proprio superimponitur. Denique si nomen imperatoris proprium sequitur, in prima parte nominis nota I literae affigitur; in quarta et quinta minutum nomen imperatoris notae superimponitur. Etiam in sexta parte notae Vespasiani et successorum admodum differunt a notis Divi Iulii, Divi Claudii, Divi Augusti, cum in his notae *divus* nominum mutilatae affigantur, in illis nomina *divus* notae superimponantur. Quam diverso modo hae notae formatae sint, qui considerarit, sibi persuasum habebit, partes primam et secundam una cum notis Divi, Divi Iulii, Divi Claudii, Divi Augusti vetustissimas esse, cum aliae paullatim additae sint, ac tertia quidem Vitellio imperatore, Tito quarta, Antonino autem Caesare quinta cum nominibus Caesarum a Vespasiano usque ad Antoninum divorum epitheto auctis, nisi Galbae, Othonis, Vitelli nomina ab eodem esse addita statuimus, qui inseruerit collectioni Vespasiani Titique nomina, quos addito nomine impe ratoris, quia gens Flavia imperium obtinebat, fortasse maiore voluit afficere honore.

Quae cum ita sint, nihil, quominus Annaeum Senecam statuamus secundum commentarium composuisse, obstat, quae opinio confirmatur ratione, qua in diversis commentariis notae sunt digestae. Cum enim in prioribus duobus commentariis plerumque vocabula primitiva sequantur derivata, tertius in duas partes dividi potest, quarum altera nomina ad geographiam pertinentia continet, altera quasi supplementum est vocabula in prioribus commentariis omissa sine ullo ordine complectens; deinde in quarto commentario sunt vocabula, quaecunque ad vestitum ornatumque, supellectilem, cibum, plantas, arbores, flores, theatrum, ludos, musicam, bestias, navigationem, aves, morbos, currum, pisces, aquam pertinent. Quintus commentarius brevissimus nomina propria Latina, Gallica, alia secundum ordinem literarum disposita continet, sextus vero cum alia vo-

cabula sine ullo ordine, tum ad doctrinam Christianam et historiam sacram spectantia, unde in duobus prioribus commentariis notas digestas esse eadem ratione, diversa in posterioribus videmus.

Post Senecam qui collectionem notarum amplificaverint, nihil nobis est traditum praeter unum. Trithemius enim abbas in libro, quem de polygraphia scripsit, narrat, Thascium Caecilium Cyprianum Carthaginensis ecclesiae praesulem, qui anno p. Chr. n. CCLVIII diem supremum obiit, „ipsa Ciceronianae institutionis documenta" — dicit notarum collectionem — „Christianorum volentem prouidere utilitati haud mediocriter ampliasse et quae defuissent moribus adiunxisse." Nimirum ex codice illius collectionis a se empto illud petiit, ut in aliis quoque codicibus de origine notarum narratur. Quod quamvis nulla alia re confirmetur, tamen Schmitzio quidem persuasum est, non temere scriptorem codicis Cyprianum notas ampliavisse affirmare. Concesso vero hoc, addideritne sextum commentarium, qui unus a Christiano compositus videtur, an commentariis, qui iam fuerint, ad Christianam doctrinam spectantia inseruerit vocabula, est dubium. Certissimo autem septimo saeculo *plateola* vocabulum ultimum fuisse scimus ex loco supra allato praefationis codicis Parisiensis n. 8779, quam a S. Eligio episcopo Noviomi et Tornaci, qui anno p. Chr. n. DCLXVII mortuus est, scriptam esse Koppius censet. Etiam post illud tempus notas additas esse unde, quod editio Gruteriana post illud vocabulum satis magnum notarum numerum continet, intellegimus.

Collectio igitur, de qua adhuc egimus, est fons, ex quo tachygraphiae Romanorum scientia hauriri possit. Quo clarius autem contextum illius operis corruptum et interpolatum esse intellegimus, eo magis id erit agendum, ut, quae antiquitus in commentariis non fuerint, cognoscamus et tollamus. Ac primum quidem notae omnibus, quos novimus, codicibus inspectis et perlustratis denuo edendae sunt. Quod Schmitzius Coloniensis in mente habet, qui iam dudum illo labore est occupatus. Omni-

bus autem codicibus utatur, quia ob maximam interpolandi facilitatem nullum aliud opus tam corruptum est quam notarum collectio, et codices neque forma neque numero notarum congruunt. Nimirum ut nova editio maiorem praestet utilitatem, id quoque erit agendum, ut omnes codicum variae lectiones afferantur. Quae editio si perfecta erit, facile, qui codices ex communi fonte sint scripti, quae a librariis sint addita, cognoscetur; deinde autem fontibus comparatis diversis intelligi poterit, quas notas archetypus omnibus communis continuerit. Dignissimus vero, qui perlustretur, videtur codex Bernensis supra commemoratus, cuius notae plane diversa ratione atque in editione Gruteriana dispositae esse dicuntur (Schmitz l. l. pag 538). Quamquam enim decimi codex est saeculi, tamen permagni interest comperire, utrum ex antiquo fonte sit petitus an media demum aetate notae alio modo sint digestae, quod probabilius videtur.

Quamquam igitur, priusquam denuo notae erunt editae, vix fieri poterit, ut, quae notae iam perfectis commentariis insertae sint, certo iudicare possimus, tamen, qua ratione illae notae cognoscantur, explicare conabor. Neque vero quae afferam exempla certissima esse affirmo, sed tantum, ut nunc collectionem notarum novimus, suspectas esse notas mihi quidem persuasum est.

Ac primum quidem vocabula, quae media demum aetate in sermonem latinum irrepserunt, suppositicia habenda erunt, ut *casubla* (18), *domnus* (78), *drappus* (161), innumera alia, quae omnia hoc loco afferre longum est. Neque minus suppositas statuemus notas, quarum orthographia a vera differt et pronunciationi convenit Francorum, quos consonantes medias et spirantes durius pronunciasse constat, ut K (a) R (u) Ptis = *Caryptis* pro *Charybdis* (97), K (a) T (r) Cus = *caturcus* pro *cadurcus* (141), A C H da = *achademia* pro *academia* (144), G H it = *gihnit* pro *gignit* (148), D (e) SAH. = *de sahina* pro *de sagina* (159), TH um = *tihnum* pro *tignum* 162), SHR um = *shrinium*

pro *scrinium* (163), FIT. = *fiticen* pro *fidicen* (173), UAH a = *vaha* pro *vacca*, UB. = *verbex* pro *vervex*, UB. = *verbina* pro *vervina* (175).

Christianam ad doctrinam quae spectent vocabula praeter ea quae in ultimo commentario legantur quin supposita sint, nemo erit qui dubitet. Huius generis cum alia invenimus tum haec: *archisynagogicus* (9), *in praesepio* (33), *zeloticus* (59), *haeresis* (84), *episcopus, archiepiscopus, praesul, papa, praesbiter, archipraesbiter, diaconus, archidiaconus, subdiaconus, exorcista, accolitus* (?), *clericus, laicus, eremita, anachorita, monachus, monasterium, abba, propheta, martyr, martyrium, baptizatus, cateczizatus* (!), *catecuminus, cristianus, elemosinae, blasphemus, anthicristus, diabolus, fantasma* (91), *apostolus, apostolicus, angelus, archangelus, martyr, martyrium, Iesus, Christus, Iesus Christus, dominus noster Iesus Christus, Iesus Christus dominus, in Christo, in Christi nomine, in Dei nomine, clerus, crucifixus, ecclesia, ecclesiasticus, in ecclesia, de ecclesia, Hierusalem, in Hierusalem, euangelium, euangelizat, in euangelio, de euangelio, euangelista, episcopus, papa, presbiter, archipresbiter, diaconus, archidiaconus, subdiaconus* (99), *reliquiarium* (106), fortasse etiam *in sempiternum* (11).

Quae suspecta vocabula cum facile cognoscantur, alia suppositane sint, minus facile iudicari potest; multa tamen sunt, quae quin sint suppositicia, nemo dubitabit. Ut exempla afferam,

in pag. 6 videmus *hiscit* post *his* dativum, quamquam illo loco non conspiciantur nisi particulae, pronomina, alia frequentia vocabula.

\- - 9 *viridis* post *vir*.

\- - 9 *praecipue, praeceptor* post *praeceps*, quae vocabula excipiunt *magister, magisterium, rethor, grammaticus, pedagogus, pedagogium, pedagogiarium, synagoga, in synagoga, archisynagogus, archisynagogicus*, quae omnia supposita esse existimo, cum sine dubio nulla causa locum obtineant nisi quod *praeceptor* vocabulum antecedit.

in pag. 25 *Amen* post *men* terminationem.

\- - 54 *paraliticus* post *parat* et *parabola* post *incomparabilis.*

\- - 59 *collega* post *cogitat.*

\- - 73 *stomachus* post *cor, concors, discors, socors* et ante *socordia, discordia, praecordia, recordatur, vecors, excors.*

\- - 94 *incarnit, precarius, vicarius* post *carus.*

\- - 98 vocabula: *vir sublimissimus, vir honestus, vir honestissimus, vir prudens, vir prudentissimus, vir sapiens, vir sapientissimus, vir magnificus, vir magnificentissimus, vir splendidus, vir splendidissimus, vir spectabilis, virorum spectabilium, vir inluster, virorum inlustrium, vir clarissimus, clarissimus vir, virorum clarissimorum, clarrissimorum virorum, vir egregius, egregius vir, vir amplissimus, amplissimus vir, virorum amplissimorum, amplissimorum virorum,* quae notam *vir sublimis* secuntur.

\- - 113 *Hiempsal* post *hiemps.*

\- - 122 *nectar, nycticorax* post *nectit.*

\- - 127 *nugas, nugatorium* post *niger* inserta vocabulis ad colorem barbae spectantibus.

\- - 133 *Ephoebus* et *Diephoebus* post *Phoebus* et alia deorum nomina.

\- - 136 *Isaurum* et *Isauricus* vocabula post *Pisaurus* inserta nominibus oppidorum Italicorum propter similitudinem soni.

\- - 139 *Ariobarzanis, Ariovictus, Ariatotalis* (pro *Aristoteles*) post *Arabicus,* propter similitudinem notarum nominibus ad geographiam pertinentibus inserta.

\- - 144 *Achademia, Achademicus* ante *Achroceranía* (*Acroceraunia*) eadem de causa.

in pag. 162 *Andronicus*, *Andrometa*, *Andromacha* post *andron* et alia vocabula ad supellectilem pertinentia.

- - 180 *anatema*, *anatematiarinata* (!), *anathema sit* inserta vocabulis, quae ad morbos spectant.

Multo plura eodem modo suspecta vocabula afferre possum, sed sufficiant, quae attuli. Omnes autem huiusmodi interpolationes factae sunt aut ob similitudinem vocabulorum aut ob synonymiam.

Affirmatur suspitio, si compluribus collectionis locis idem vocabulum conspicitur, unde altero loco interpolationem esse facile intelligitur. Ac supra in pagina 98 notas, quibus viri prudens, egregius, sapiens etc. notantur, suppositas esse suspicatus sum; augetur suspitio, quod iam in pagina 47 post *clarus* vocabulum *vir clarissimus* nota conspicitur plane diversa ratione formata. Nec minus in pagina 91 *ostium*, *ostiarius*, *ostiensis* Christianorum vocabulis inserta ex pagina 162, ubi cum synonomis locum obtinent, illuc translata sunt.

Cavendum tamen est, ne temere quis interpolationem esse statuat, cum, quam ignari etymologiae veteres fuerint, inter omnes constet; atque complura vocabula afferam, quae supposita esse affirmare non audeam, nisi aliis rebus demonstretur:

in pag. 2 *ecum (aequom)*, *inicum*, *perinicum* post *cum*, *mecum*, *tecum*, *secum*,

- - 44 *demum* post *emit*.

- - 47 *genius*, *gens*, *ingenium* post *genus*,

- - 48 *opinio* post *opus*.

- - 65 *indoles* post *dolet*.

- - 69 *morosus* post *mos*.

- - 102 *geminus*, *gemellus* post *gemit*,

alia, quae sintne supposita annon, codicibus demum comparatis iudicari potest. Codices enim quamquam longe differunt, nec

difficile fieri potuit, ut librarius notas omitteret, quae in alio libro inveniuntur, tamen interpolationem iure suspicemur, si quod vocabulum aut in omnibus aliis codicibus aut in plerisque omissum est. Hoc autem modo iam nunc interpolationes investigare vix possumus, cum longe plurimi libri nondum accurate sint collati. Attamen liceat mihi nonnulla afferre vocabula primi commentarii, quae apud Gruterum solum, non autem in codicibus Cassellano Gotvicensique leguntur, haec: *percidit, attendit* (18), *intemporalis* (32), *depetit* (39).

Maxime vero, qui interpolationes in notis investigant, iuvabuntur, si contigerit nobis, ut, quibus rationibus formatae sint notae diversis temporibus, intellegamus. Esse enim diversas rationes non modo comparatis prioribus cum posterioribus commentariis videmus, cum veteres id egisse videantur, ut uno ductu notam perficerent, quod, qui postea notas formabant, minus petebant, sed etiam eorum, quae bis conspiciuntur, vocabulorum notis. Quod ut exemplis demonstrem, notantur

omnibus	in pag.	4 OV(s),	in pag.	81 O(i)bus,
fuga	- -	43 FA.,	- -	152 FUa,
praesul	- -	60 P(rae)L.,	- -	91 PS(u)L.
platea	- -	63 P(a)La,	- -	194 P(a)LTa.

Sed etiam formationis rationes diversae quae fuerint, ut cognoscamus, necesse est notae accuratissime edantur; nam, quam diversa ratione in codicibus ipsis eaedem notae sint formatae, intellegent, qui Koppii, quem de palaeographia critica scripsit, librum diligentius perlustraverint. Quae ut facilius intellegantur, quinquaginta notas, qua ratione in codice Cassellano et apud Gruterum formatae sint, hoc loco affero:

Notae formantur	in codice Cassellano,	apud Gruterum:
prodest (7)	P(ro)S.	P(ro).
postulat (7)	PLat	Pat
praeceptor (9)	PCor	PCtor.
incrementum (21)	ICR(i) mentum	IM mentum.

consummat (34)	C(on)SVat	C(on)SVat*).
solitarius (35)	S(o)Lrius	S(o)Rrius.
aufer (36)	AF(r).	AUF(r).
fertilis (37)	F(e)Lis	F(e)is
sublatum (37)	S(u)L	SL
plebs (39)	PL.	P.
gerulus (44)	G(e)Lus	G(e)us
gentilis (47)	G(e)Lis	G(e)is.
plerumque (49)	P(e)Q(l)e	P(e)Q
aestimat (53)	Aat	A(s)Tat
pectorosus (58)	PS.	PS.**)
dictitat (61)	D(i)C(i)T(i)at	DTAat.
singula (66)	SGLa	SGa
epulum (68)	A(p)Lum	E(p)Lum
ambigit (68)	A(n)Git	A(mi)Git
vectura (69)	UA.	FSA.
corruptile (77)	C(on)R(ul)e	C(on)R(ul)e***)
piraticus (79)	P(it)Cus	PCus
pestis (87)	PSis	PStis
monita (88)	M(ui)ta	M(o)ta
ultrix (89)	ULX	U(l)X
iugalis (92)	I(u)GLis	I(u)G(l)is.
evangelium (99)	EGLlium	EGlium
novem (101)	NOe	NOem
vigil (105)	UGL.	UG.
obscurum (114)	ω(c)um	ωum
gavillatur (115)	G(a)Latur	G(a)atur
crista (126)	CRa	CRa †)
gregalis (129)	G(e)L(x)is	G(el)is

*) Terminationis loci diversi sunt.
**) Mutilata est P litera in codice Cassellano.
***) Terminatio diverso modo formata est.
†) Apud Gruterum R et C literae separatim pictae sunt, cum in codice Cassellano coniunctae conspiciantur.

singultus (134)	SGLtus	SG(l)tus
Capitolinus (135)	KP(l)N	K(al)N
Isubrius (142)	I(s)SVius	I(s)SVrius
Coriosultas (142)	C(r)SLas	C(ru)LTtas
bivium (149)	BVum	BIum
trivium (149)	TVum	TIum
exortus (151)	EO(r)tus	E(o)Rtus
fel (154)	F(e)L	F
musivum (163)	MSVum	MSUum
pôpulus (169)	P(o)PLus	P(o)Lus
cornu (173)	C(o)V	C(o)U
leaena (175)	LN(a)a	L(ae)Na
Eurydice (187)	ERCe	ERe
Benjamin (193)	B(e)M.	B(e)Nim.

Inde Gruterianam editionem a codice Cassellano haud ita raro differre apparet, sed ne Gotvicensem quidem codicem semper eodem modo formatas notas continere atque alios libros, affirmat Sickelius, qui (l. l. pagg. 14—17) triginta notas a Gruterianis discrepantes delineavit. Priusquam igitur prospere diversas rationes notas formandi investigare et cognoscere possimus, formae quoque notarum quae verae sint, constet necesse est. Quod si factum erit, facilius, quae sint interpolata, intellegemus. Quomodo vero formationis rationes cognosci possint, Gabelsberger, qui idem adhuc optimam Germanorum tachygraphiae disciplinam invenit („Neue Vervollkommnungen in der deutschen Redezeichenkunst oder Stenographie" pag. 109), quamvis cetera, quae de natura et ratione notarum Tironanarum disputat, plane falsa sint, non contemnenda dicit. Dicit enim, quaerendum esse, quae sint partes notarum, quomodo coniungantur, conglutinentur, varientur, qua ratione syllabae formentur et vocales una cum consonantibus notentur, quae sit ratio punctum vel terminationes ponendi, quae monogrammata inveniantur.

Rationes interpolationes detegendi postquam ostendi, liceat

mihi pauca de eadem re addere. Tres enim novas notas addendi modos fuisse mihi persuasum est; primum commentariis, qui antea fuerunt,novus addebatur,deinde capitibus commentariorum alia adiciebantur, postremo capitibus ipsis notae inserebantur. Quod ita esse, inde apparet, quod in omnibus fere commentariis priora capita posterioribus multo longiora sunt, cum, si unus totum commentarium composuisset, capitum longitudo aequa esset. Quartus tantum commentarius, quem etiam aliis de causis ab uno compositum esse existimo, quattuor capita satis aequa continet, quintus vero et sextus brevissimi omnino non sunt divisi in capita. Primi vero commentarii, qui antiquitus in duos commentarios esse divisus videtur, ex prioribus capitibus primum longe maximum est; alia paulatim addita esse verisimile est. Ut de aliis taceam, illud inde quoque concludo, quod in secundo capite plane diversa H literae forma usurpatur atque in primo Quibus autem temporibus addita sint, statui non poterit, priusquam notae quam diligentissime pertractatae erunt. Attamen de tribus capitibus primi commentarii, sexto et septimo et octavo, copiosius disseram, quoniam haec, quin satis novis temporibus adiecta sint, vix dubitari potest. Terminationum notas sextum, septimum octavumque syllabarum notas continet.

Atque ut a syllabis initium faciam, etiam illa capita diversis temporibus esse compositas, vel inde apparet, quod haud paucae syllabae diverso modo notatae bis conspiciuntur, ut *ci* (26. 30.), *hi* (27. 30.), *li* (28. 30.), *nis* (28. 30.), *pi* (28. 30.), *pis* (28. 30.), *thi* (31), *xe* (29. 31.). Septimum ipsum caput diversorum esse opus videtur; cum enim initio *q*, *x*, *z* exceptis omnes consonantes cum *a*, *as*, *e*, *es*, *i*, *is*, *o*, *os*, *u*, *us*, *ae*, *orum*, *arum* syllabis et terminationibus coniunctae notentur, secuntur *xa*, *xe*, *xi*, *xo*, *xu* syllabae, postea vero *a*, *e*, *i*, *o*, *u* vocales cum *l*, *c*, *g*, *p*, *ps* consonantibus coniunctae. Neque minus octavum caput in complures partes divisum conspicimus, quarum prima multas syllabas, quae in lingua latina omnino non exstant, continet, ut *bad*, *baf*, *bap*, *staha*, *scaha*, *spaha*, *stlaha*, *sclaha*, *splaha*, *scra*,

straha, scraha, spraha, in secunda *b, c, d, f, g, h, l, m, n, p, s, t, v, br, cr, dr, fr, gr, hr, ph, pr, th, tr* cum *i* et *is* coniuncta sunt, quae excipit tertia pars continens alias, quae in lingua latina non inveniuntur, syllabas, ut *cha, che, chi, cho, chu, thla tima, tina, psap, psep, psip, psop, psup.* Ultimum capitis locum obtinent videlicet postremo additae *psip, psips, cla, cra, cima cina, clac* syllabae, quarum pleraeque iam antea alio modo notatae conspiciuntur. Diversis igitur temporibus illas syllabas collectioni insertas esse, certissimum videtur, quibus autem temporibus factum sit, dubium est. Vetustissimum vero septimum caput videtur, cui octavi partes paulatim esse adiectas verisimile est. Et Germanos quidem auctores illarum notarum fuisse, inde concludo, quod syllabas legimus, quae non exstant in latina lingua, illorum vero in sermone haud rarae fuerunt, ut *hri* et *hris.* Huc etiam locus praefationis in codice Parisiensi n. 8779, quam iam supra commemoravi, spectare videtur. Legitur enim in illa praefatione (Kopp pal. crit. § 343): „meo nunc nomine ea quae sposponderam lingua mea crebrius ingerente et ea quae ad utilitatem pertinet de hac arte agnosco qualis sit eius affectus. Hoc ea que spoponderam opus varieturum a d n i x a s y l l a b a u t o r d i n e i p s o m a g i s c l a r e n t e t q u a s i p e r s p e c i e s e t sub nomine tullii lectione hac designo“ etc. Ac Koppius quidem ex illis verbis Eligium, quem illius praefationis auctorem fuisse probabile est, omnes notas in alium ordinem digessisse concludit, sed praeterquam quod iam supra omnino nullum notas in ordinem digessisse probavi, disertis verbis ipse praefationis auctor collectionem a nota *ab* initium capere et finiri *plateola* nota affirmat. Mihi quidem syllabas ab auctore additas esse literarum serie digestas illis verbis dici persuasum est, quam opinionem etiam Sickelius (l. l. pag. 9) habet. Quas autem syllabas addiderit, septimumne caput an octavi secundam partem, quamvis sit dubium, tamen hanc eum adiecisse malim censere. Ut pauca dicam de usu illarum syllabarum, non invenimus eas nisi in subscriptionibus chartarum, et ne illae quidem meris syllabis exaratae sunt,

sed plerumque cancellariorum modo nomina, ita ut ad cancellariorum tantum usum syllabarum notae esse inventae videantur.

Si igitur, quin syllabae media demum aetate notarum collectioni insertae sint, dubitari vix potest, eodem tempore etiam terminationum notas formatas esse minus certum videtur; tamen rem ita se habere demonstrare conabor. Ac primum quidem, qua ratione terminationes digestae sint, ostendam. Primum locum obtinent terminationes verborum exeuntes in *ntur, tur, tis, ris, re, mur, mus, mini, mino*, deinde leguntur terminationes perfecti et plusquamperfecti a *v* litera incipientes, ut *verant, verat, verimus, veras, visti, vissent, vero*; secuntur terminationes participii futuri activi, ut *uro, ura, uras,* et praesentis, quas excipiunt terminationes a *r* et *b* literis incipientes. Post has verborum terminationes nominum legimus videlicet certa ratione dispositas: *tor, tore, torem, tores, tori, toris, torum, toribus, or, ior, tio, sio* cum iisdem declinationibus, quibus *ora, arum, nibus* et *iri, ari, eri, mum, mam, dam, sti, stis* terminationes postea, ut videtur, sunt insertae; deinde *ito, vit, tu, tat* et declinationes *tas* terminationis, *tute, tatus, sent, set, sem us, ium, num, sam, que, iti, itam, ar, er, am, em, im, um, as, abs, nem* et exeuntes in *nt, n, ns* terminationes conspicimus, quas secuntur declinationes *bundus, trix, bilis, lius, rius, mentum* terminationum, quae ab eodem auctore esse additae videntur, deinde terminationes in *nus, nius, nianus* exeuntes; finem faciunt *i potes, i non potes, i potuit, i non potuit, i debet, i non debet, i debuit, i non debuit, i solet, i non solet* et *re* syllaba cum iisdem verbis coniuncta, quas notas novissimo tempore additas esse inde concludere licet, quod in codice Gotvicensi omnino non conspiciuntur.

Omnes autem terminationum notas satis novas esse, facile intelleget, qui *bundibus, triciis, biliam, libus, ribus* terminationes derivatas a *bundus, trix, bilis, lius, rius* nominativis conspexerit, neque minus inde apparet, quod in notis *batur,*

batis, *bamus*, *bamini*, *bare* *b* literae figura plane diversa est atque in ceteris collectionis notis.

Sed dixerit quispiam: „Quomodo fieri potuit, ut notarii per complura saecula terminationum carerent notis, quibus ab initio iis opus erat?“ et affirmatur haec opinio eo, quod in libris notis exaratis, quicunque nobis sunt traditi, diligentissime terminationes notantur. Tantum autem abest, ut huiusmodi argumentis victus concedam, terminationum notas iam antiquitus in usu fuisse, ut Romanorum notarios terminationes aut omnino non aut raro notasse affirmem. Ut praetermittam enim, quod, si notassent terminationes, nullo modo fieri potuisset, ut orationem exciperent, ne opus quidem notariis erat, cum inter omnes constet, qui patrio sermone commode utatur, facile eum, quae desint, terminationes supplere. Ut exemplo utar, nemo, qui linguae latinae peritus est, verba haec: *can. latr.* aliter leget quam *canis latrat*, atque eodem modo nostri quoque tachygraphi, si orationes excipiunt, terminationes sine ulla dubitatione praetermittunt, cum iis, se notas recte esse intellecturos, persuasum sit. Media autem aetate, qua notarii Francorum et Germanorum notis Tironianis utebantur, minus periti erant latinae linguae, quia non erat vernacula, unde factum est, ut cogerentur terminationes addere, ne, quominus notata relegerent, impedirentur. Quae cum ita essent, nemo mirabitur, quod collectioni notarum illae sunt insertae. Concedam tamen, nonnullas notas terminationum frequentissimarum iam antiquitus in usu fuisse, ut *us*, *a*, *um*, *is*, *it*, quarum vestigia iam in primo commentario conspiciuntur; alias autem non fuisse certissimum habeo. Quamvis enim hoc modo notarii numeros, casus, modos distinguere non possent, tamen, si orationem exceptam relegebant, confestim, singularis an pluralis, nominativus an alius casus, indicativus an coniunctivus ubilibet usurpatus esset, ex contextu orationis debebant concludere.

„Sed in collectione notarum vocabulis terminationes additae sunt.“ Sane, sed pleraeque quin novissimis demum tem-

poribus a librariis additae sint, minime dubito. Quod ut probem, mihi ostendendum erit, quibus rationibus terminationes vocabulorum notentur.

Ac primum quidem sunt vocabula, quorum terminationes omnino non notentur, ut N = *nescio* (1), U = *verus*, UT = *veritas* (3), BO = *bonus*, ω = *optimus*, A = *alius*, G = *Graecus*, N(e)G = *negat* (4), B = *brevis* (6), QL = *qualis* (8), UN = *unus*, A(n)T(i) = *antiquom* (9), T(i)N = *tenet* (10), I = *iacet* (20), P = *ponit* (30), NO = *nolo* (34), L = *latum* (37), BL = *bellus*, BG = *belliger* (38), UT(i) = *utitur* (40), UL = *utilis*, USP = *usurpat*, USR = *usura*, M(t) = *multum*, M(s) = *minus*, (x)M = *maximus* (41), DEM = *demum* (44), ISL = *insolens* (47), OP = *opus*, OP = *oportet*, ωP = *opinio* (48), N(u)C = *nocens*, SR = *servus* (57), M(s) = *maiestas*, P(os) = *potestas* (64), S(o)R(u) = *sordidus* (66), P = *pendit*, P(ae) = *pendet* (68), R(t)L = *rationalis*, RC = *ratiocinium* (69), AL = *alea*, CAL = *calumnia*, M(u) = *mons*, N(u)L = *naturalis* (70), IR = *ira* (71), VG = *vergit* (72), D(u)D = *dudum* (74), AR(s) = *armamentarius* (75), S = *suburbanus* (87), FS = *fessus* (89), D(i)M(e) = *dimidium* (93), T(o)P = *torpet* (94), RN = *repentinus* (95), O(p)F = *profanum*, M(o) = *mors*, M(o)L = *mortalis* (96), TBL = *tabula* (98), MR = *mora* (104), L(u)L = *luculentus* (118), A(r)B = *arbor* (119), S(i) = *secius* (123), U(o)C = *volucrum* (124), CVL = *cruralia* (129), M(at) = *maturus* (129), D(p)N = *delphinus* (133), S(u)C(r) = *sincerus*, R = *repit* (135), S(ol)D = *solidum* (145), OS = *orsus*, CL(u) = *cyclus* (151), ED = *haedus* (175), multa alia, quae omnia affere longum est.

Deinde aliorum vocabulorum terminationes puncto significari videntur, cuius rei exempla et in qualibet collectionis pagina et apud Koppium (l. l. I. § 253) collecta conspiciuntur.

Denique haud raro inveninuntur vocabula, quorum terminationes cum notis ipsis coniungantur, ut SV(m) = *sum*, GA = *Graeca* (4), U(n)A = *una*, A(du)NV(m) = *ad unum* (9), SA. =

sententia, S(u)S. = *sententiosus*, S(u)S. = *studiosus*, U(i)V(m) = *iudicium*, D(u)S = *diutinus* (*diutius* placet Koppio) (34), L(c)V(m) = *longinquom* (37), B(l)V(m) = *bellum* (38), VSV(m) = *usitatum*, MA = *multa*, MI(s) = *multis*, M(l)D(o) = *multitudo* (41), T(u)S. = *tutissimus* (56), C(u)S. = *curiosus*, N(i)D(o) = *necessitudo* (60), C(on)A. = *colonia* (63), MSA. = *miseria* (66), CA. = *censura* (67), C(on)PV(m) = *compendium* (68), M(i)A. = *molestia* (71), M(i)A. = *militia* (75), TPV(m) = *tropaeum* (76), Q(atus) = *quaestus* (86), UA. = *victoria* (87), P(u)SV(m) = *pusillum* (89), M(e)SI(s) = *mensis* (102), M(e)SE(s) = *menses*, A(s)K = *kalendas*, I(s)K = *kalendis*, N(ae) = *nonae*, N(as) = *nonas*, N(is) = *nonis* (103), T(i)A. = *tristitia*, IA. = *iunctura* (108), M(e)SA. = *mensura*, M(e)SO. = *mensor*, TB(r)I(s) = *Tibris* (121), L(i)M(a) = *lima*, TO(s) = *Tros* (149), U(a)S = *vas* (150), QO(r) = *cultor* (160), (e)R(u)M(a) = *aerumna* (164), R(o)SA = *rosa* (170), M(us) = *mus* (176), M(a)M(a). = *mamma* (180), ISV(s). = *Iesus* (192), alia, unde in omnibus commentariis terminationes et verborum et nominum aut omnino non notatas, aut punctis significatas, aut cum nota vocabuli coniunctas exstare intellegimus.

„Sed a permultis notis separatas video terminationes.“ Non nego, sed a librariis addi poterant. Quod vere ita esse, inde apparet, quod haud raro terminationes integrae vel partes earum bis notatae inveniuntur, unde, cum vix fieri posset, ut auctor ipse illud faceret, a librariis notarum parum peritis terminationes additas esse intellegitur, et, cum novis demum temporibus notarum scientia minueretur, novis temporibus quin additae sint, vix dubitabitur. Ne temere loqui videar, exempla affero. Integrae terminationes bis notatae sunt cum in aliis notis tum in his: UT(us)tus = *ventus*, A(d)T(us)tus = *adventus*, C(on)T(us)tus = *conventus*, reliquis cum *ventus* vocabulo compositis (33), C(c)SAtia = *conscientia*, ISAtia = *inscientia*, ISAa = *inscitia* (35), UV(m)um = *vehiculum* (69), PRor = *peior* (85), P(a)V(m)um = *pravum* (86), O(is)is = *orbis* (87), P(ro)N(um)um = *pronum* (114), NO(r)Aa = *norma* (119), U(a)V(m)ium =

vadimonium (120), R(e)L(at)at = *reflat*, U(a)N(um)um = *vanum* (121), USAa = *vesica*, TBAa = *tibia* (129), M(i)Aa = *Minerva* (133), OSI(s)is = *Obseris* (*Osiris*), ISI(s)is = *Isis* (135), UN(a)a = *Vienna* (137), AVC(um)um = *Aventicum* (141), BLC(um)um = *Bello(v)acum* (142), L(a)N(a)a = *lacina* (*lancia*), L(d)Oo = *longitudo* (154), S(p)N(a)a = *spina* (155), TO(r)UV(m)um = *torvum* (159), B(l)C(um)um = *Babylonicum* (159), PSC(um)um = *Persicum* (160), A(n)SAa = *ansa* (160), RSIAa = *Resina* (165), LN(a)a = *leaena*, VHAa = *vacca* (175), CMam = *Cam* (*Cham*) (194); partes autem terminationum bis notatae conspiciuntur in notis vocabulorum exeuntium

1. in *mus*: IMmus = *infimus* (55), FMmus = *finitimus* (57), I(n)Mmus = *intimus* (85).

2. in *tus*: P(a)Ttus = *partus* (149), F(e)Ttus = *foetus* (150).

3. in *lius, lia, lium*: EGLlium = *evangelium* (99), U(t)SLlia = *utensilia* (150).

4. in *rius, ria, rium*: S(o)Rrius = *solitarius* (35), D(e)Rrium = *deversorium* (46), LRrius = *Ligarius* (49), C(ond)Rrium = *condiarium* (Kopp: *conditorium* (68), D(i)Rria = *diaria*, USRrius = *vestimentarius* (69), S(o)Rrium = *solarium* (112), PNRrium = *penuarium* (162).

5. in *mentum*: S(p)Mmentum = *supplementum* (49), S(l)Mmentum = *solamentum* (63), SMmentum = *sarmentum*, S(r)Mmentum = *stramentum*, D(e)Mmentum = *detrimentum* (84), S(up)M(l)mentum = *supplementum* (Kopp: *supplicamentum*) (87), S(p)Mmentum = *spiramentum* (89), E(xp)Mmentum = *experimentum* (92), I(n)Mmentum = *interpretamentum* (120), AT(r)Mmentum = *atramentum* (124), MF(e)mentum = *ferramentum* (126), LMmentum = *libamentum* (176), U(l)Mmentum = *velamentum* (177), L(i)M mentum = *linamentum* (178), I(u)Mmentum = *iumentum* (181), LMmentum = *liquamentum* (183).

6. in *vum*: U(o)Vvum = *votivum* (79), LVvum = *longaevum* (122).

7. in *anus:* UTNanus = *veteranus* (89).
8. in *na:* ELNna = *eleemosyna* (91).
9. in *ne:* A(d)RNne = *adspergine* (107).
10. in *tio:* N(t)tio = *natio* (79), P(or)Ttio = *portio* (148).
11. in *ens:* P(t)Nens = *patiens* (54).
12. in *unt:* SVunt = *sunt* (16).

Certissimum vero, a librariis terminationum notas adiectas esse, eo fit, quod nonnumquam falsarum terminationum notae vocabulis additae sunt, ut M(as)us = *mos* (70), SPet = *sapit* (86), EPus = *epos* (124), A(l)Cet = *antecellit* (131), TVDit = *tondet* (154), E(x)OTum = *exodus* (195), unde intellegitur, tempore illas notas esse additas, quo iam imperitissimi linguae librarii fuerint, cuius rei etiam argumentum est firmissimum, quod in codicibus ipsis vestigia inveniuntur. Ut exemplum afferam, *imus* terminatio in codice Cassellano notatur IV(s); Gotvicensis vero librarius *us* terminationem addidit, ita ut IV(s) us notetur (Sickel l. l. pag. 17). Etiam aliarum notarum terminationes in libro Gotvicensi diversas esse atque in codice Cassellano et editione Gruteriana, Sickelius (pag. 14) exemplis probat. Quae cum ita sint, non temere mihi videor affirmare, terminationum notas separatas a reliquis notarum partibus aut omnes aut plerasque novissimis demum temporibus a librariis adiectas esse, quod si probaverim, nemo, quin sextum quoque primi commentarii caput terminationum notas continens novo tempore collectioni sit insertum, dubitabit.

Restat ut de natura et vi puncti, quod vel ante vel post vel supra vel infra multas notas locum obtinet, pauca addam. Koppius enim ideo notis appositum esse punctum, ut terminationes in eius locum succederent, affirmat, et in libris, qui notis sunt exarati, ita esse factum non ignoro. Cum vero notarios Romanorum terminationes notis omnino non apposuisse verisimile sit, illa de causa punctum non est usurpatum, praesertim cum etiam notis, quibuscum terminatio coniuncta est, punctum haud raro adiciatur. Quare fieri non potest, quin, puncto notarios esse

usos, ut similes notas distinguerent, censeamus. Temporibus vero satis antiquis punctum in usu fuisse inde apparet, quod iam in prioribus commentariis saepe similes notae inveniuntur. Quod ut exemplis probem, eadem A literae figura notantur *ante* (14), *animus* (45), *arbiter* (52), *amicus* (59), *ager* (61), *augustus* (92), O litera *abediens* (45), *ordo, ordinarius* (74), *omen* (78), CA. notantur *censura* (61), *colonia* (63), *custodia* (79), SA. *sententia* (33), *superbia* (55), *sanus* (87), ut de aliis taceam exemplis, quibus puncti diversa positione notas distingui demonstratur. Cum vero terminationum notae coeptae essent addi, puncti in locum successerunt, unde, ut Koppius aliique ob id ipsum punctum notis adiectum esse censerent, est factum.

Demonstrasse igitur mihi videor, qua ratione notarum collectionem paulatim ortam esse sit verisimile. Si nonnumquam erraverim, excusent lectores; nemo enim fontes, ex quibus ad hoc tempus hauriri possit, exiguos esse non intelleget. Spero autem fore ut haud ita longo tempore huius quoque disciplinae adhuc nimium neglectae fontes in lucem proferantur et notarum quoque scientia pro dignitate magis colatur.

Tab. I.

pag. 64. col. 1.

imperium.

imperiosus.

imperialis.

imperat.

imperator.

imperator Caesar.

Caesar imperator.

imperator Augustus.

Caesar Augustus.

imperator Germanicus.

col. 2.

imperator Caesar Augustus Germanicus.

imperator Caesar Augustus Germanicus pontifex maximus tribunus potestatis.

potestas.

Caesar.

Caesareum.

Caesaries.

Britannicus.

Drusus.

Gaius Caesar

Tiberius Caesar.

Claudius

Clodius.

Tiberius.

Tab. II.

Nero

Nero Caesar

Germanicus

Germanicus Caesar

Germanicus imperator

Galba

Othon

Vitellius

Vespasianus

col. 3.

Vespasianus imperator

imperator Vespasianus

Titus

Titus imperator

imperator Titus

Domicianus

Domicianus Caesar

Caesar Domicianus

Domicianus imperator

imperator Domicianus

Nerua

Nerua Caesar

Caesar Nerua

Nerua imperator

imperator Nerua

Traianus

Traianus Caesar

Caesar Traianus.

Traianus imperator.

imperator Traianus.

Adrianus.

Adrianus Caesar.

pag. 65. col. 1:

Caesar Adrianus.

Adrianus imperator.

imperator Adrianus

Antoninus

Caesar Antoninus.

Antoninus Caesar

Antoninus imperator

imperator Antoninus.

Diuus.

Diuus Filius.

Diuus Claudius.

Diuus Augustus.

Diuus Vespasianus.

Diuus Titus.

Diuus Nerua.

Diuus Traianus

Diuus Adrianus

Diuus Antoninus